



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Corollaria præcedentis doctrinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

174. Neque urget contra hanc responfionem difcurfus Cyrilli in objectione adductus: argumentatur enim ille contra Arrianos, qui ponebant Christum non esse verum Deum, sed purum hominem & per gratiam atque propria merita, sibi acquisivisse tantam dignitatem, ut esset supra omnes alias creaturas, haberetque quendam conjunctionis modum ad ipsam divinitatem. Contra quem errorem efficax erat Cyrilli argumentum: nam homo ille Christus ab illis hæreticis confictus, certè venisset per se primò in mundum, ad acquirendum illud tantæ tamque excellentis dignitatis fastigium, subindeque pro se magis incarnatus esset, quàm pro hominibus.
175. Ex his patet charitatem Christi erga homines non refrigerare (ut ineptè obijcit Calvinus) sed potius mirum in modum resplendere, ex eo quod gloriam sui corporis sibi meruerit: cum enim gloria corporis esset ipsi connaturaliter debita, & ex unione hypostatica, ac gloria animæ, naturali quadam sequelâ profluere & dimanare debuisset; voluit tamen Christus, ob summum quo homines prosequeretur amorem, continuo miraculo, suique concursus suspensione, redundantiam & effluxum gloriæ ex anima in corpus impedire, ut locus redemptioni hominum per passionem & mortem daretur, suoque nos instrueret & informaret exemplo, non nisi per multas tribulationes, posse nos intrare in regnum cælorum.
176. Obijcies secundò: Christus non meruit gloriam essentialem animæ: Ergo nec gloriam corporis. Probatur Consequentia, nam cum duo per modum essentialis & proprietatis se habent, unum non potest obtineri per meritum, sine altero: Sed gloria corporis sequitur ad gloriam animæ, per modum propriæ passionis: Ergo si Christus gloriam animæ non meruit, nec gloriam sui corporis potuit promereri.
177. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, & ad illius probationem, distinguo. Majorem: cum duo per modum essentialis & proprietatis se habent, unum non potest obtineri per meritum sine altero: si simul utrumque fiat, concedo Majorem. Si essentialia habita supponatur sine sua propria passione, nego Majorem, & datâ Minori, nego Consequentiam. Nam gloria animæ supponitur ab initio conceptionis possessa à Christo sine gloria corporis, ut daretur locus redemptioni hominum per passionem & mortem; & ideo quamvis gloria corporis sequatur ad gloriam animæ tanquam propria passio (quod à pluribus negatur) potuit Christus gloriam corporis quâ non fruebatur mereri, absque eo quod gloriam essentialem animæ mereretur.
178. Obijcies tertio: Gloria corporis erat debita Christo titulo connaturalitatis, non solum ratione gloriæ animæ, sed etiam ratione unionis hypostaticæ: At quod est debitum alicui titulo connaturalitatis, non potest fieri iterum ei debitum titulo iustitiæ, nec consequenter per meritum: Ergo Christus gloriam sui corporis promereri non potuit.
179. Respondeo, concessio Majori, negando Minorem: non enim est inconveniens ut illud quod Christo aliàs debebatur titulo connaturalitatis, si illud non habuit à principio, postea etiam per meritum proprium acquirat; nec enim duo illi tituli sunt impossibiles, vel se invicem excludentes; ut patet in humanis, nam filius Regis præclaris gestis, dignis coronâ & imperio, mereri potest regnum, aliàs sibi hæreditario jure debi-

tum. Idem dicendum de Christo, nam Psalm. 2. Pater æternus ei dicit: *Postula à me, & dabo tibi Genes hæreditatem tuam* &c. ubi id quod hæreditario jure Christo debebatur, titulo orationis & deprecationis confertur.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes primò contra Scotum: Christum verè, & propriè, ac directè meruisse gloriam sui corporis, & non tantum ablationem impedimenti, quo gloria animæ detinebatur, & prohibebatur ne redundaret in corpus.

Pater hoc corollarium: Primò quia de facto nullum fuit impedimentum extrinsecum detinens gloriam animæ, ne transiret ad corpus, sed solum detinebatur per subtractionem concursus divini: Ergo non meruit remotionem impedimenti.

Secundò, Dato adfuisse positivum impedimentum, non sequitur Christum illud directè & per se primò meruisse: Ergo ruit sententia Scoti. Consequentia patet, Antecedens probatur. Id aliquis directè meretur, quod primò cadit in meritis & præmiantis intentionem: Sed esto adfuisse positivum impedimentum, intentio tamen Christi meritis, & Dei præmiantis, per se primò tendebat ad gloriam corporis: Ergo adhuc tali impedimento admissò, non sequitur Christum gloriam sui corporis directè & per se primò non meruisse.

Tertiò, Verba Scripturæ attribuentia Christo meritum gloriæ sui corporis, sunt in proprietate accipienda: Sed mereri solum impedimenti remotionem, non est cum proprietate gloriam corporis promereri, cum removens prohibens, dicitur solum per accidens & improprie causa effectus: verbi gratiâ tollens impedimentum quo lapis detinetur ne descendat in centrum, non dicitur propriè motum lapidis causare: Ergo Christus verè & propriè ac directè meruit gloriam sui corporis, & non solum ablationem impedimenti quo gloria animæ detinebatur, & prohibebatur ne redundaret & resiliiret in corpus.

Inferes secundò: Christum obtinuisse suis meritis judicariam potestatem, regiam, ac sacerdotalem dignitatem, & supremum omnium rerum dominium, non tamen dignitatem capitis Ecclesiæ.

Probatur breviter hoc corollarium, quantum ad tres primas partes: Nam ex triplici tantum capite potuit provenire quod Christus prædictas dignitates non mereretur, vel quia sunt debita connaturaliter, vel quia in primo instanti fuerunt illi collata, vel quia non pertinet ad dignitatem Christi habere illas ex merito: Sed nullum horum dici potest: Ergo Christus prædictas dignitates meruit. Minor quoad primam partem patet ex supra dictis, nam optimè stat aliquid esse debitum connaturaliter Christo, & tamen cadere sub merito, ut patet de gloria corporis. Quoad secundam etiam constat ex fundamentis articulo præcedenti statutis, nam ut ibidem ostendimus, aliquid potest simul esse cum præmio in eodem instanti reali, cum sola præcedentia naturæ, ut liquet in merito augmenti habitus charitatis per actus ferventiores. Quoad tertiam pariter videtur manifesta, quia ad maximam Christi perfectionem pertinet, non solum prædictas dignitates habere connaturaliter ex vi unionis hypostaticæ, sed etiam eas proprio merito acquirere: sicut gloriam corporis, non solum titulo connatu-

ralitatis, sed etiam titulo meriti & iustitiæ obtinuit.

Quarta verò pars, quæ asserit Christum dignitatem capitis Ecclesiæ non habuisse per meritum, docetur à Cipullo hic dubio 11. versùs finem, potestque breviter suaderi, tum ex eo quod dignitas capitis competit Christo ratione gratiæ habitualis, ut suprâ docuimus: Sed Christus gratiam habituales non meruit, ut ostendimus articulo præcedenti: Ergo nec dignitatem capitis. Tum etiam, quia omnis actus meritorius Christi, processit ab illo ut capite morali: Sed quod ex parte principij merita Christi præcessit, sub illius merito non cadit: Ergo Christus dignitatem capitis non meruit.

ARTICVLVS VII.

An Christus omnes effectus prædestinationis nobis meruerit?

182. Certum est, Christum non sibi tantum sed etiam nobis meruisse: ut enim discutit D. Thomas hic art. 4. in Christo fuit gratia non solum ut in homine singulari, sed etiam ut in capite totius Ecclesiæ, unde sicut in corpore naturali caput sentit sibi & omnibus membris, ita in corpore mystico Ecclesiæ, Christus non solum sibi, sed etiam aliis meruit. Solum ergo difficultas est, an meritum Christi respectu nostrum, ita sit perfectum & universale, quod ad omnes nostræ prædestinationis effectus se extendat: Pro resolutione tui

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Christus meruit nobis omnes prædestinationis effectus: hoc est gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, dispositiones proximas & remotas ad gratiam, imò & bona temporalia, quatenus ordinantur ad supernaturalia.

183. Probatur primò ex Scriptura: Ait enim Apostolus ad Ephes. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali, in celestibus, in Christo.* Ubi, ut notat D. Thomas, cum Ambrosio & aliis SS. Patribus, particula *in* ponitur pro particula *per*, quæ denotat causam efficientem moralem, sicut quando idem Apostolus in eodem capite ait: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* idem sonat ac si diceretur: *Per dilectum Filium suum.* Et cum subdit: *In quo habemus redemptionem,* idem significat ac *Per quem habemus redemptionem.* Unde sensus verborum Pauli est, Deum per Christum, seu per Christi meritum, omnem spiritualem benedictionem nobis contulisse: Sed omnis effectus nostræ prædestinationis, omneque bonum supernaturale quod nobis confertur, est spiritualis benedictio: Ergo Christus omnes effectus nostræ prædestinationis, & omnia bona & dona supernaturalia, nobis meruit.

184. Confirmatur ex illo Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quo in loco, ut observat Chrysostomus ibidem homil. 13. & Augustinus Tract. 3. in Joan. denotatur omnia bona supernaturalia esse in nobis per Christum. Et sanè id colligitur ex illis verbis: *gratiam pro gratia*, nam secundum phrasim Hebræicam significant omnem gratiam, à prima usque ad ultimam, esse per Christum, ut patet ex illo

A Job 2. *Pellem pro pelle dabit homo pro anima sua;* id est, omnem pellem: ac si diceretur, à primo bono usque ad ultimum, & à minimo usque ad maximum & pretiosissimum, permittet homo se spoliari, ut vitam tueri possit.

Probatur secundò conclusio: Christus nobis meruit quicquid Adamus demeruit, alias non superabundaret gratia Christi Salvatoris, ubi abundavit delictum: Sed Adamus nobis demeruit carentiam omnium effectuum prædestinationis, omniumque bonorum & donorum supernaturalium: Ergo Christus illa omnia nobis promeruit.

Probatur tertio: Christus nihil influit in homines, nisi quod illis meruit: Sed omnes effectus prædestinationis, & omnia dona supernaturalia quæ sunt in hominibus, sunt ex ipsius Christi influxu: Ergo nobis per ejus merita conferuntur. Major patet, nam Christi efficientia in homines, non plus se extendit, quam ejus meritum; imò per suum meritum habet quod in homines influat. Minor verò, præterquam quod ex testimonio Scripturæ suprâ adductis apertè colligitur, hac ratione suaderetur. Gratia fuit in Christo, sicut in universali principio in genere habentium gratiam; Christus enim, propter immediatam unionem suæ humanitatis ad Verbum, debebat habere ipsam gratiam in perfectissimo gradu, & quia erat redemptor & sanctificator hominum, oportebat quod haberet gratiam in aliis redundantem, quod est habere illam per modum principij in genere habentium gratiam: Sed virtus primi principij alicujus generis, universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, ut patet in Sole, cujus virtus ad omnes rerum inferiorum generationes se extendit, quia est causa universalis generationis: Ergo omnes effectus prædestinationis, & omnia bona supernaturalia, quæ sunt in nobis, ex Christi influxu procedunt. Unde præclare Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quidquid sapientia, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ depura Christo.* Et antè initio sermonis dixerat: *Origo fontium & fluminum mare est, virtutum & scientiarum Dominus Iesus Christus.*

Confirmatur: Christus, quoad influxum supernaturalem quem in nos habet, comparatur capiti, & viti: unde Tridentinum sess. 6. cap. 16. ait: *Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit &c.* Sed palmes nihil habet nisi dependenter à vite, & membra corporis humani, in omnibus suis motibus & operationibus vitalibus, à directione & influxu capitis dependent: Ergo pariter nihil boni supernaturalis est in nobis, nisi dependenter à Christo, & ex ejus influxu.

E Denique suaderi potest conclusio hac ratione: 188. Attribuendum est Christo quicquid excellentiæ & dignitatis est, nisi vel in se repugnet, vel oppositum revelatum sit: Sed Christum suo merito omnes prædestinationis effectus efficienter moraliter seu meritorie in nobis causare, excellentiæ est & dignitatis, & in se non repugnat, nec oppositum revelatum est: Ergo asserendum est Christum omnes prædestinationis effectus nobis meruisse. Unde Ecclesia in collectis, sive petat gratiam, sive auxilia supernaturalia, sive bona temporalia, ut ad salutem eternam conducunt, concludit semper, *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, ut significet, hæc omnia nobis ex meritis Christi donari.